

98



ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ

Dictus

Illustrissimis & Fortissimis Principibus
AVGVSTO ET ERNESTO DVCC.
CIMBRICIS FER.

Qui

DEI OPT. MAX.

7 VSSV,

AVSPICIIS AV-

GVSTISS, Imperatoris RODOLPHI II,
Germanici, &c.

*Ductu Serenissimi Principis MAXÆMILIANI
Austriaci, designati Regis Sarmatia &c.*

DVCTORE ILLVSTRIS-
SIMO HEROE BERNHARDO ASCA-
nio, Principe Anhaltino, &c.

*Ad bellum profecti sacrum, & in pugnâ, aperto Marte apud A-
GR. f. A. M. Pannoniæ commissâ, pro Patriæ salute cum Barbaris di-
micando fortissimè occumbentes, ipsius Ductoris ASCANII mortem,
Tirnaviæ Pannoniorum, antequam adhuc discessum esset
ab armis, obitam paucis diebus Fato præuerterunt.*

Scriptusque ab

ALBERTO VOITO Borusso.



SERVESTAE

Excudebat Bonaventura Faber, 1596.

79.

Epigramma.

Vt grex, Christe, tuus socio colat ordine vitam:
Tres proceres vitam deposuere suam,
De gente Hollatiâ fratres duo; iamq; reuerti
In patriam sperans Ascane stirpe satus.
Quis dignum his aliquid tanta dabit indole?
Pro cuius signis opposuere latus. (Christus:
SED ne iacturam vitæ fecisse putentur:
Redditur his culto posthuma vita sono,
Floribus his optat cingi sua tempora virtus:
Sermonis fructu pascitur ipse Deus,
Sic bene de patria meritis, ALBERTE, parens
Vitam depositis in caua busta refers. (tans,

Iohannes Maior.
D.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ.



VM multa, viri nobilissimi & fortissimi, à majoribus nostris diuinitus inventa, atq; instituta sunt: uim nihil præclarius, nihil illustrius, nihil utilius, nihil sanctius, nihil ad iuuandam, erigendam, conseruandam, amplificandam, stabiliendam Rempublicam augustius, aut diuinius: quàm quod virorum fortium, decorá illá pulcerrimamq; morte pro patriæ salute in acie cæсорum, præconia publicá voce fieri voluerunt. Nam & DEI præpotentis dona, paternaq; beneficia hoc pacto celebrantur, extolluntur. Auctoriq; grato pectore, grato ore accepta feruntur: & laudationes atq; celebrationes hominum, suo Marte & Morte à Morte patriam vindicantium, illorum propriæ sunt, vitamq; propè æternam efficiunt: immortalisq; eos gloriá afficiunt: quæ vna (si ejus ratio habenda) vitæ breuitatē posteritatis memoriá consolatur: facitq; vt absentes adesse, mortui viuere, etiamq; hujus quodammodo gradibus in Cælum ascendere videantur: Et præstantissimorum Heroum exemplis illustribus, optimus quisq; acrius extimulatur, vehementiusq; quàm nudis, seueris, austeris, ætriciq; Sophistarum quorundam præceptis, ad decus, ad laudem, ad res præclare patrandas inflammatur: adeoq; illa ipsa fortium facinorum æmulatio ceu quibusdam facibus, vt honestati, vt fortitudini studeant, vt in laudis æternitatem incumbere non desinant, generosos animos hortatur atq; incendit: Et contrà nullus pro Republicâ labor, nulla pro Patriâ vitæ dimicatio, nullum in omni genere laudis studium, si pulcerrimæ virtuti sua præmia & honores debiti subtrahantur, ponendum videretur.

Extiterunt hâc commemorabili pietate & gratitudinis genere in suos ciues, patriæq; assertores ac vindices, Græci, atq; ex his Lacedæmonij præcipuè & Athenienses: qui quotquot in bello recentē sanguinem, pro salute ciuium & incolumitate publicâ, profundendo, debito vitæ, patriæq; se liberassent, illos in Diario ascriptos nominū & rerum ab illis præclare gestarum crebrâ recitatione, ludis & festiuitate publicâ, in præsentia vniuersorum, post tam felicem mortem celebrabant: certaminaq; à iuuentute fiebant, quæ dicebantur Sepulchralia: quibus superstites laudis, gloriæq; studio ducti ad rem

bellicam ad mortis contemptum, ad amorem Reipublicæ, usq; adeo beneficiorum in se memorijs exstimularentur: præscribi præterea à Polemarcho solebant carmina, & versus quidam in laudem defunctorum & virtutis: qui ipsis juvenibus decantandi in ludis publicis tradebantur. Quam Atheniensium pietatem, ut & cætera præclara, feliciter ac laudabiliter imitati Romani, fortissimos quosq;, nuper in bello mortuos, publico luctu suorum popularium ad integrum annum, aliudue tempus justum honestari voluerunt; longè rectius, & melius virtuti, existimationi atq; famæ consulentes, quàm qui mortuo, augustissimæ & beatissimæ memoriæ, Heroi CHRISTIANO imperij Romani septemviro, illustrissimo & incomparabili, paulò post eodem anno, incondito tympanorum & fistularum strepitu, ludicra Spectacula, in dejicienda sagittis suspensâ de palo erecto lignea auiculâ, cum summâ leuitate ediderunt; in ejus ignominiam; cuius IACTVRAM OSTENDET DIES, Sicut enim Solis, qui Elector Græcis dicitur, defectu & deliquio Cælum nobis tristia concionatur, publica; mala portendit: Sic dubium non est, abitu Illustrissimi Electoris Saxonis & obitu publicas horum temporum calamitates denunciatas. Ut adeo mirum non sit: si nuper Ecclesiasticum quoq;, ipsum, inquam, Ecclesiasticum Ciuitatis Dresd. MINISTERIVM, huiusq; nomine siue Albanus, siue Albinus, nescio quis, siue Nigrinus, nigerrimi; oris canis rabiosissimus, elumbi, insulso spurcissimoq; versu Beatissimos Illustrissimi Principis BERNHARDI IX, Anhaltini manes funusq; isthac ex Vngariâ in Patriam deducendum foedissimè allatrârit, instarq; Hyenæ immanissimæ in defuncti famam desæuierit.

Quod si ergo veteres illi à vero DEI cultu alieni, priuatis hominibus, qui pro rebus humanis, pro libertate strenuos se gesserant, tantos honores habuerunt: quid non facere nos, qui CHRISTO nomen dedimus, quid non præstare, quid non conari, quid non eniti, quid non argumentorum gratitudinis, aut gratiæ, si non referendæ, agenda; saltem & habendæ, conferre decebit in Illustrissimos Principes (ut reliquos eiusdem pietatis &

& virtutis auctores, Ductores participes, earundemque laudum
 affines & socios taceam) Duces Cimbricos AVGVSTVM
 & ERNESTVM Fratres: quorum facinora plusquam Heroica
 & prope diuina jam in ore sunt omni populo: qui pro pietate, pro
 rebus diuinis, pro artibus ingenuis, pro Ecclesiae salute, pro com-
 munis patriae incolumitate, sanctaq; libertate, cum generosissima
 animâ etiam per ipsum sanguinem profundenda in conspectu to-
 tius Reipublicae, Orbisque vniuersi depacisci vel hoc anno non
 dubitarunt: quô immanissimos Scythas, juratos diuinarum hu-
 manarumque legum hostes, ipsis ceruicibus Germaniae imminere
 sensimus? An ab illis, quos dixi, majoribus nostris officio
 gratitudinis vinci, & studio humanitatis superari non turpissi-
 mum fore nobis, judicabimus? An non vel officij ratio,
 vel magnorum virorum exhortationes, vel qualiscunq; eruditionis
 aut ingenioli opinio, dicendi necessitatem etiam nobis imponet?
 Quam quomodo retinuerimus, si eos voce litterularum nostrarum
 defraudauerimus; quorum fortitudine, pietate, fide, curatum est:
 vt adhuc in Germaniâ illâ, his conelamatis temporibus, & hoc cla-
 dibus Reipublicae infami seculo, loqui exaudiri que possent? Quo-
 modo illâ ad eorum mortem pulcerrimam filebunt: quorum vitam
 toti orbi salutarem extitisse sciant? Quomodo mortuos illos publi-
 câ aliqua affectionis significatione ipsae non prosequantur: quos vi-
 uos, reque praecclare gesta reuersos publicâ omnium ordinum accla-
 matione excipere maluissent? Veteres quidem non quemuis
 de triuijs petitum praecone ad huiusmodi solemnia peragenda
 adhibuerunt: in quem conueniret comicum illud verbum; strenui-
 ori deterior si praedicat suas pugnas, de illius ore sordidae fiunt:
 Sed summos oratores, quique suo in genere Roscij essent, planeque
 Atticas Musas Patribus, populo, caeteris voce praecire voluerunt.
 E quibus Pericles apud Thucydidem vt primum in patriam,
 Samo deuietâ & rursus in Atheniensium potestatem redactâ,
 redijt, ijs, qui in bello mortem oppetierant, honorificum funus
 fieri curauit, institutâ ad populum oratione furebri, quae tanto
 cum plausu, tantaque cum admiratione à ciuibus excepta: vt

A 3

orator

orator ipse floribus conspergeretur, & coronis tanquam Athleta exornaretur. Plato similiter, quanquam in Epitaphio suo, quem Menexemum inscripsit, carpere aut ridere Oratores (fortassis æmulatione Periclis) existimetur: summus tamen orator ibidem Cicero extitisse iudicatur.

Splendidissimè enim laudat illos, qui pro salute Patriæ pericula mortemq; intrepidè subierunt: vt non tam præcepta dicendi sanctè obseruasse, sed, quod Quintilianus de Homero affirmat, tradidisse videri possit. Demosthenes verò itidem summis laudibus interfectos in prælio, ad Cælos vsq; extollit, aureo planè orationis genere: quâ vniuersæ virtutis principium, sapientiam & eiusdem perfectionem, fortitudinem constituens, illius affirmat, quæ agenda sunt, decernere; hujus, hæc eadem tueri. Et hunc ipsum præcipuè imitatus flos illibatus populi, Suadæq; medulla Cicero, postquam pugnatam ad Mutinam esset, & victus fugatusque Antonius magno prælio, splendidissimâ concione eorum fortitudinem prosequitur: qui Rempublicam defendendo, spiritû, quem naturæ debuerant, patriæ reddidissent. Hoc ergò desiderabitur, quòd tam præclaris facinoribus commendandis, horumq; memoriæ ad posteros propagandæ non Plato aliquis, Demosthenes, Pericles, Cicero obtigerint: quorum linguâ, si Iuppiter Idæi vellet cum mortalibus, vsurus erat: qui tonarent, fulgurarent: qui nihil nisi perfectum ingenio, elaboratum industriâ, omnibusq; numeris absolutum, afferrent: à quâ præstantiâ quidem me longissimè abesse tum demùm libenter fatebor: cum alij vicissim mihi hoc confitendo largiti fuerint: tantam esse hujus argumenti amplitudinem, tam obuiam rerum pulcerrimarum copiam: vt ne infantissimo in hac causâ deesse possit oratio: multo minus illi: qui cum ipse à dicendi præceptis non prorsus abhorrere debeat: tum viam, summorum oratorum, quos dixi, vestigijs signatam & impressam in conspectu habeat. Quibus instituti nostri primis quasi lineis vel filamentis ductis, vel potius fundamentis jactis, reliqua superstruxisse tum profectò rectissimè iudicabimur: cum gratiam, fauorem, & applausû honorû, quorû candorè, fidè, auctoritatè & patrocinium in hac
causâ

caussa omni venerationis cultu contra atrum maligni liuoris dentem appellamus & imploramus, collectum, & ad nostras rationes in numerato quasi nos habituros intellexerimus.

Quemadmodum ergo Plato in hoc genere tali oratione opus esse affirmat, quæ & defunctos modestis, iustis tamen verisque, laudibus afficiat, & facta ipsorum pro maximis celebret: quæ parentibus eorundem & consanguineis acerbo casu turbatis omnem dolorem molliat, omnem ægritudinem abstergat: quæ denique superstitibus & æquales ad imitationem & æmulationem exhortetur: sic cum mihi à tanti Magistri præscripto recedere & vestigia non adorare (licet longè sequar) religio debeat multò esse maxima: principio illud sese offert, quod homines primo corpore pressimus, pedibus institimus, cuius aërem hausimus, in quo infantia nostra vagij, pueritia lusit, iuuentus exercita atque educata: ex quo genere argumentorum laudes ductæ profectò non in postremis habendæ sunt. Constat quidè duo ista belli fulmina prodijsse ex Holsatiâ, sic à lignorum ac sylvarum amœnitate dictâ, quam veteribus Cimbricam Chersonesum appellatam constat: cuius tamen mentione hodie totum fermè illum tractum intelligunt: quem vulgò regnum Danicum, à Dano eius gentis Rege, nominant: quæ quidem regio amplitudine, situ, fertilitate, omnigeno frugum prouentu, temperatâ aëris salubritate & clementiâ; quæ piscatione, metallorum fodinis, nauigatione, pascuis reliquis superare; quæ religionis purioris professione, legum æquitate, disciplinæ seueritate, pacis artibus, armorum (quod neque Tacitus, scriptor nobilissimus, tacuit) tractatione, nulli concedere regionum putatur: quæ urbium splendore, arcium firmitudine, pagorum frequentia, portuum commoditate, lacuum, annium, fontium vbertate, sylvarum, & saltuum innoxio afflatu, quemadmodum Cœlum pulcritudine & varietate stellarum distinctum, omniū oculos in se conuertere, & velut adiuuandos mortales ipsa auida, terra mariq; in omnes partes omnesq; Orbis plagas & angulos extensa lōge lateq; patere & procurrare cernitur

quæ

quæ libertate , quæ hominum fide , corporum robore illibato ;
animorum rectissimorum candore , opum possessione & usu ,
quæ mercimoniorum & negotiationum opportunitate, opificum
industria cæteras anteire ; quæ gentis incolarumque origine
& antiquitate , ab ipso Noâ naturæ generis humani radice ,
alteroque Adamo continuâ nec interruptâ auctorum generis serie,
deriuatâ & nominatim quemque recensendo repetitâ alias pro-
uocare existimatur : cuius rei argumentum inter alia dicere
videtur linguæ etiam Patriæ & vernaculæ vetustas tanta : vt ex
illâ (rem fortè monstri similem ignaris eius linguæ dixero)
velut ex augusto fonte cum ipsam sanctam linguam , tum alias
omnes ortum ducere viri doctissimi contendant : Quæ, inquam ,
regio optimarum artium amore , ingeniorum felicitate , lite-
rarumque studijs plerosque longo interuallo post se relinquere ju-
dicatur. Nam vt de scholâ Haffniensi, oculo illo Academi-
arum, alijsque viris genere & eruditione illustribus jam non dicam ,
quomodo hic tacitus præterire possum vatem illum præstantissi-
mum Erasmus Michaëlium Lætum ? quomodo Nicolaum
Henningium Theologum nulli secundum ? quomodo lumina
illa Daniæ & columina Nicolaum Casam , Rantzouios pro-
reges, Rosenkrantzios vicarios regios , & qui Atlantem cælifera
ex ultimâ Muritaniâ in ultimam vsque Thulen transtulisse
videtur, Tychonem Braheum ? Quod si tanta ingeniorum præ-
stantia est in priuatorum familijs : quæ tamen propter egregias vir-
tutes, in togâ & caligâ spectatas , ad summa Reipub. munia obeun-
da euehuntur , deprehenditur: quantum de ipsis Regum filijs ex-
pectandum sit , in procliui est æstimare : Qui non solum ipsâ
naturâ , patrijque cæli bonitate & indulgentiâ ad præclara ducun-
tur : Sed etiam accuratâ institutione, & exquisitâ educatione con-
nata semina virtutumque vim insitam promouere docentur :
vt non dubium sit, & hîc Lunam meliorem esse multò quam alibi.
Quod cum de Atticæ vrbis genio quidam affirmaret, ridebatur qui-
dem ille ; sed immeritò fortassis: si, quod norunt Artifices, alijs locis
aliæ stellæ magis beneuolæ sint & propitiæ : vnde proventus inge-
niorum felicior existat.

Sed

Sed ad alia pergo, ne rem vel altius repetijſſe, vel longius ab instituto digreſſus alicui fuiſſe videar: In cuius me tamen incogitantia ſuſpitione non ponent, qui ſummos quoq; illos dicendi Magiſtros non, mutos hac in parte, ſed multos vel potius totos fuiſſe, præcipuè Periclem & Platonem, cognouerint. Qui vt formam Reipublicæ Atticæ aureo planè orationis filo ſuo Epitaphio intexuit, nominans eam vniuerſæ Græciæ Scholam & Magiſtram: Ita certè haberem quod de regni Cymbrici gubernatione in medium proferre poſſem: quæ non ſolum patrijs legibus & incomparabili illa *αὐτονομία* libertatiſq; prærogatiuâ cum omnibus Romani imperij prouincijs contendit: ſed etiam quanto ipſa monarchia omnium ſapiētum conſenſu reliquos Reipub. ſtatus dignitate, firmitate, & ſtabilitate ſuperat: tanto Lacedæmonios & Athenienſes omneſq; Græcas vrbes regno Cimbrico inferiores eſſe, certum eſt. Cuius gubernacula etſi ſunt penes ſenatores, Prætores, nobiliſſimaſq; Equitum familias: tamen ſicut à primo ſupremoq; Cæli motu reliqui omnes inferiores pendent: ſicut apud Poëtâs minores Dij nutu & arbitrio Iouis ſupremi gubernantur: ſicut mundus vniuerſus, vnum ſolumq; DEVM ſummū iudicē agnoſcit & vindicē ſic Magiſtratum illorum diuerſorū auctoriſas ſoli, vniuſq; regis maiſtate & principatu nititur:

— *Ilum admirantur, & omnes*

Circumſtant fremitu denſo, ſtipantq; frequentes:

Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello

Obiectant, pulcramq; petunt per vulnere mortem.

Præterea Regem non ſic Aegyptus, & ingens

Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaſpes

Obſeruant: Rege incolumi mens omnibus vna:

Amiſſo, — non niſi & Ducum Cimbricorum familiâ, DEO ita Senatorum & Ephorum iſtius regni conſilia gubernante, ſucceſſorem eligunt: quod ipſum diuinæ prouidentia & voluntatis argumentum tituli oſtendunt, quos in ſcutis ſuis, & ſcutis principes Holſatiæ præferunt: dum ſe, DEI gratiâ, HAEREDES NORVEGIAE, DVCE SLESVICI, HOLSATIAE STORMARIAE, DITMARSIAE, COMITES OLDENBURGAE, & DOLMENHORSTI proſitentur. Negari enim nō pot-

B

eſt

est Deum, qui transfert & stabilit regna, consilio singulari ex
infinita hominum multitudine genus quoddam velut eximium
& ut Græci loquuntur, ἐκ πολλῶν ἐξαιρέτων συνέσει τε καὶ
ἀρετῇ τῶν ἄλλων διαφέρειν secreuisse: In quod præcipuas ingenij
& virtutum dotes conferret: cuius operâ in constituendâ ampli-
ficandâque religione, conseruandis instaurandisque imperijs,
defendendis legibus, & disciplina præ cæteris vteretur. Quo
nomine etiam Reges Cimbricos claros fuisse, personamque sibi
à DEO impositam cum summâ admiratione sustinuisse historiæ
multorum seculorum loquuntur: è quibus, vt cæteros silentio
inuuoluam, non possum præterire, qui Religionis initiati sacris
sub CHRISTI signis fortiter militare cæperunt: Haraldum V.
Ericum III, Haraldum VII. qui circa annum CHRISTI
nongentesimum, Canutum IV. qui circa annum millesimum
Septuagesimū octauū vixit: VValdemarū I. Christianū I. Ioannem
Fridericum, huiusque filium Christianum III. laudatissimum
Regem, qui ex Dorotheâ filiâ illustrissimi Principis, nomine
& omine Magni ducis Saxonie Arctoæ, suscepit quinque ge-
nerosissimos liberos: tres mares, Fridericum I I. Regem,
Patrem CHRISTIANI IV. Regis: Magnum item & IO.
ANNEM: ac præter hos, filias quoq; duas Dorotheam &
majorem natu Annam, nuptam Augusto Duci Saxonie se-
ptemviro & Ensisero Romani Imperij: qui hâc suâ Annâ
diui Christiani Saxonis Electoris matre rebus humanis
exemptâ duxit in thalamum (uelut Senior Tithonus
Auroram.) Hagnen Hedvigam, Anhaldinam, Bern-
hardi IX. Sororem, Illustrissimæ & generosissimæ stirpis
iuuenculam: secundis nuptijs jam copulatam IOANNI
fratri Annæ, regis fratri, regis filio, regis nepoti, adeoque pa-
tri horum ipsorum, quibus iusta facimus, fortissimorum He-
roum AVGVSTI ET ERNESTI, quos vnâ cum
nouem alijs filijs maribus ex priore conjugē Elisabethâ, E R-
NESTI Ducis Grubenhagij, principis bellicosissimi, filiâ, sustu-
lerat. Quorum omnium nomina saltem enumerando & affini-
tates primis quasi lineamentis adumbrando intelligentibus
fatif.

satisfactum spero à me, imitante vel certè æmulante bonos
 pictores: qui, cum magnam hominum multitudinem in arctâ
 tabellâ contrahere necesse habent, aliquorum vultus tantum, atque
 que ora, multorum capita saltem & summos vertices, occultato
 reliquo corpore, ostendunt. Quid enim commemorem tot in
 vnius gentis illustrationem conspirantia heroum lumina, tot ma-
 jorum imagines, tot belli clarissima facinora atq; parta tropæa?
 quid tantam vitæ integritatem, tantam clementiam, tantam pi-
 etatis & veræ religionis curam? quid denique innumerabilia
 alia, quæ omnia tam splendida, tam lucida, tum fulgida sunt
 & magnifica: vt si alienæ claritatis politiciæ, ac nitor, fuerint
 adhibita; plus obscuritatis sint allatura, quam lucis? Vnum
 hoc addo: familiam istam longè esse antiquissimam: adeò, vt,
 licet eius originem primam inuestigare non facilius videatur,
 quàm caput Nili inuenire: tamen, velut eruditissimorum quo-
 rumuis calculo comprobatum est, illustrissimos Principes A S-
 C A N I O S genus ducere ab Ascane Iapeti, ex Gomero, nepote:
 ita doctissimus quisq; statuatur: laudatissimos duces C I M M E-
 R I O S vel Cimbros à Gomero, nepote Noæ ex Iapeto,
 oriundos: vt hæ duæ stirpes ex Illustribus solæ verè vetustissi-
 mum gentis nomen referant. Quod quàm eximium sit in
 his duabus illustissimis domibus, quanti momenti, quamque
 euidens diuinæ prouidentia argumentum: illud tot rerum vi-
 cissitudines in alijs, tot & tam crebræ, variæque mutationes,
 tot veterum familiae excisæ & penè cum nominibus ipsis
 ex hominum memoriâ euulsæ testantur. Accedit huc,
 quòd, quemadmodum ab arbore generosa vis natiua
 plantis ingeneratur: sic à magnis & virtute illustribus homi-
 nibus semina quædam virtutum ipsos, quos procrearunt, propagen-
 tur. Vnde non possum facere cum illis: qui genus
 & proavos, & quæ ipsi non fecimus, nostra esse non
 sinunt: Sed vt, teste Platone, *αἴματιν καὶ ἀναίδειαν* est,
 gloriari de majoribus absque propria Virtute: Sic
 vicissim negligere majorum merita & generosi sanguinis
 priuilegium, superciliosi hominis & ingrati est & degene-
 ris. Magnam enim vim, magnam necessitatem,

magnam possidet religionem paternus maternusq; sanguis; ex quo si qua macula concepta sit; non modò leniri non potest: verum insuper eò vsq; promanat ad animum; vt summus furor atq; amentia consequatur. Quin etiam, quemadmodum Scipio, Romanorum uerus Hectòr, se veterum imagines contuentem ad virtutem & præclara facinora planè incendi, dicere solebat: sic dubium non est in generosis naturis crebra majorũ laudabilium recordatione mirabiles amores & æmulationem virtutis illorum excitari: caucriq;, ne aliquid indignum suo genere committant; præsertim si accedat educatio, & institutio præclara: qualem etiam in aulâ Cimbricâ ad erudiendos Regij sanguinis pueros, & adolescentes adhiberi constat: non dissimilem disciplinæ Regum Persicorum: quorum liberos, Plato & Xenophon scribunt, maturè committi solitos pædagogis regijs: qui viri erant præstantissimi numero quatuor: Sapientissimus, Iustissimus, Temperantissimus, Fortissimus: primus alumnum suum Magiam seu religionem & *Ἐσολιμὰ*, quæ pertinerent ad officia Regis: secundus veritatem & Iusticiam: tertius Temperantiam: quartus Fortitudinem docebat. Cum igitur hi nostri etiam duo Martes & natura ipsâ duce, ad summa quæq; tenderent: & præterea accurata educatione, præceptis, doctrinâq; pietatis, iustitiæ, modestiæ & fortitudinis imbuti essent & instituti: cum celsitudinem animi & morum grauitatem insignem, ingeniiq; admirabilem vim præ se ferrent: cum incessu, nutu, vultu, gestu, sermone, oculis, facie, totiusq; corporis statu, filo, atque habitu nihil nisi egregium planè & regium quid cuius pollicerentur: cum diuinitus præcipi regibus pro aris focusq; pugnare audirent: cum arma gentilitia sua, aliorumq; Principum Leonibus, Vrsis, Equis, Aquilis, Gryphibus, Draconibus, Molossis, alijsque, bellicosus admodum animalibus, Hastis item, Cornibus, Gladijs, Cristis, Galeis insignita conspicerent: cum ab ea ætate, cuius est pro æquitate pugnare, pro religione libertateque dimicare, non procul se quoq; abesse animaduernerent: cum in ea tempora, quibus non leui calamo aut stilo, sed pilo Reipub. commoda promouenda forent: quibusq; vel gloriose vincendum, vel ipsis Principibus Regibusq; ejurata pietate miserrimè seruiendum

endum, se incidisse intelligerent: cum denique Turcas, non hominum sed humani generis hostes sub duodecim Imperatoribus, annis non plus ducentis sexaginta magnum Africae, majorem Europae & maximam Asiae partem sibi subjugasse, adeoque innumeris penè gentibus devictis, per tot Regum Regnorumq; stragem atq; cadauera, in Germaniam etiam ferro sibi iter patefacere acciperent: viderenturq; sibi audire fortissimorum longo ordine majorum suorum manes beatissimos hac voce vigilantibus dormientibusq; obversantes:

ἄμμες πρὸς ἡμεις ἄλκοιμοι νεανίας:
Nos quondam eramus fortes juvenes.

Parentem verò ipsum illustrissimum, vegeta & viridi adhuc senectate vigentem, reliquosq; propinquos & consanguineos superstites illis superioribus non minus magnanimo ore responsantes:

ἄμμες δὲ γ' εἰμεν αὐτὸς δὲ λῆς πῆραν λαβέ.
Nos fortes sumus, fac, si velis, periculum.

Quid tandem, inquam, hos nostros animi habuisse ab ineunte aetate, quid adhuc aliud retulisse arbitremur, quam tertium illud Trichoriae Laconicae verbum:

ἄμμες δὲ γ' ἐσόμεθα πολλῶ καρρῶνες.
Nos, nos, verò erimus multo praestantiores.

Cuius Heroicae frugis spem, ut omnibus suis facerent longè certissimam: statim equitando, luctando, peregrinando, aulis summorum Principum visendo, & frequentando, sub dio jacendo, insomnes noctes saepissimè ducendo, famem, sitim, frigus, calores tolerando, manus conferendo, rapidissimos annes tranando, maria vastissima trajiciendo, denique quiduis molestiarum exhauriendo & deorando, se jucundissimè habere, magnamq; voluptatis partem metiri ostenderunt: Eamq; vitae ratio-

nem ingredi velle experunt, eoq; ludo delectari atque saturari: quem, ut meus Poëta ait, iuuat clamor, galeæque leues, quem iuuat acer cruentum vultus in hostem. Quam quidem viuendi conditionem vel præstantissimam, omniumque absolutissimam esse, adeoq; viro Principe hac tempestate dignissimam, vel certè à perfectissimâ quam proximè abesse multis ego confirmare possem: si id tam necesse, quàm facile factu putaretur. Cum enim duæ sint artes; quæ possunt homines collocare in amplissimâ dignitatis sede: vna imperatoris, ad cuius fastigium non nisi per gradus singulos militiæ ascenditur: altera oratoris boni, suo complexu vniuersa, quæ ad humanitatem pertinent, omniaque præclara comprehendens: earum vtra sit vtri præferenda & quæsitum olim apud veteres est: & licet ne nunc quidem explicata quibusdam videatur deliberatio: tamen si illos ipsos, qui inter oratores præcipui sunt, & familiam classèmq; ducunt, eiusque artis parètes quasi existunt, IMPERATORIS dignitatem præ hac sua æstimare ostenderimus: quid obstabit, quò minus & nos in eorundem sententiam pedibus eamus, rei q; militaris præstantiam principatum obtinere statuamus? Prodeat ergò ille in cuius labris Latia Peitho sessitasse; cuius ore omnem vim, omnes opes excruisse, omnes diuitias suas explicasse Romana Eloquentia putatur: Prodeat, inquam, Cicero: qui militiam & dicendi facultatem conferens, minimè aliàs sui contemptor, his tandem verbis militiæ primas defert: Rei, inquit, militaris virtus præstat cæteris omnibus. Hæc nomen populo Romano; hæc huic vrbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit. Omnes urbanæ res, omnia nostra studia & hæc forensis laus & industria latent in tutelâ ac præsidio bellicæ virtutis: & simul atque increpuit suspitio tumultus: artes illicò nostræ conticescunt: omnia denique, quæ sunt in imperio & in statu ciuitatis ab ijs defendi & firmari putantur: qui militari virtute antecellant. Et quanquam alibi cum Ennio dicat:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ:

tamen ne vocem illam priorem imprudenti excidisse, siue ipsum

ipsum oblitum arbitramur: non dubitat eandem præfente toto orbe terrarum (Sic enim Senatam P. Q. R. alicubi ipfi appellat) grauiffimis verbis repetere, tantum non inculcare, in-
quiens; multo plus affert dignitatis rei militaris quam ciuilib gloria. Vigilas tu de nocte, ut tuis confultoribus respon-
deas: ille verò, vt, quo intendit, maturè cum exercitu perueniat. Te Gallorum, illum Buccinarum, ^{canus} exfufcitatur. Tu actionem
instituis: ille aciem instruit. Tu caues ne tui confultores; ille ne vrbes aut castra capiantur. Ille tenet & fcit vt hosti-
um copiarum, tu ut aquarum pluuiarum arceantur: ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. Prodeat etiam Demo-
sthenes Rhetorum coryphæus: qui ne & ipse parum bellicæ for- titudini tribuat, bellum quoq; , bellum, inquam, ipsum pace me-
lius affirmat: vt quod præter nominis famam atque gloriam, quã parit, etiam hoc efficit: vt omnia ad vitam sustentandam necessa-
ria & vberius & minoris parentur. Constat etiam, priscis temporibus virtutem hanc tanto in pretio fuisse.: vt in quibus
major videretur; Eos & Heroes vocarent, & semideos vene- rarentur. Hinc Hercules cœlum meruit: hinc quacunque
in orbe terrarum præclara essent atque admirabilia ad Herculem à posteris relata sunt. Et Romani, licet virtutum omnium
essent omnium mirificè studiosi: tamen cum iudicarent hominis excellentiam in Fortitudine maximè esse positam: quæ versetur
in magnis periculis, & honesta propter sese amplectitur atq; de- fendit; etiam si nec præmia respondeant, & magni cruciatus perfe-
rendi sint; VIRTUTEM eam agominarunt. Quod Aeneæ quoq; ad Ascanium verba declarant: Disce puer virtutem ex me, verumq;
laborem. Omnibus ergò seculis summos viros bellicæ laudis operam dedisse: & contra humili sæpè obscuroque
loco natos ejusdem studio, maximis suis periculis & laboribus Martijs, summos honores & ampliffimos adeptos fuisse historiæ te- statur. Quales leguntur inter Græcos Miltiades, Themistocles, Pausa-
nias, Cimō, Lyfander, Alcibiades, Iphicrates, Chabrias, Epaminon- das, Pelopidas: inter Romanos duces: Decij, Fabricij, Fabij,
Camillus, Cincinnatus, Marcellus, Titus, Scipiones, Catones, Torquatus, Lucullus, Marius, Pompeius, Cæsar: apud Hebræos,
Abrahamus

Abrahamus, Iosua, Dauides, Iosaphas, Ezechias viri quique religiosissimi: Inrer Christianos Imperatores, Constantini, Theodosius, Caroli, Ottones Saxones, Friderici, Henrici cæteri: qui omnes à D E O victorijs ornati fuerunt splendidissimis. Quid dicam? quòd non solum Angeli & Genij castissimi & sanctissimi militiae à D E O destinati dicantur: Sed D E V S ipse Dominus EXERCITVVM velit nominari, A D E O enim praelia gentibus indicuntur: à D E O hostes cæduntur: à D E O victoria euentusque belli pendet. Quod etiam veteres, veri quidem D E I ignaros, statuisse, cum multa alia arguunt; tum illud Spartanorum institutum: quo Deos suos armis indutos conspici voluerunt; vel eam ob causam; quam apud Plutarchum Charilaus exponit: vel certè vt Deos ipsos excubare pro salute Reipublicæ ostenderent; vt à Dijs fortitudinem bellicam hominibus petendam & expectandam indicarent: vt antiquissimum & sanctissimum hoc vitæ genus, cuius ne Deos ipsos puderet, testarentur. Et usque adeo armis sua ista numina induta volebant: vt non solum Dij mares, sed etiam fæminæ hastatæ essent: & nec ipsa Venus (*μορφοῦς* nomine tunc appellata) armis careret, aliàs vbiq; nuda, vel saltem sine armis culta: quod quâ de causâ porro factum, narrant Lactantius, Pausanias, Fabius, & multa Græca Epigrammata.

Huic ergo arduo, planeq; diuino muneri postquam par illud nobile fratrum sese consecrasset: nihil restabat aliud quàm vt inter Bellonæ pullos, Martisq; stipendiarios & victimas, pro pietate, pro honestate, pro patriæ salute immolandas, sua quoque numina maturè palàm profiterentur, oblata præsertim hoc tempore bellicæ Imperij Romani aduersus Turcicum Tyrannum expeditionis occasione: quâ arreptâ toti orbi testatum facerent: quanto ardore iuuandi Rempublicam ipsi flagrarent: quantique interesset, reges & Principes, horumque liberos ad Bellum Turcicum educi: quantumque præstaret Boreis vti rigidis, quam Austris, ad Euros istos, Auroræque filios populsandos & difflandos. In fabulis est: DEORVM aliquando irâ aprum quendam horrendum in Calydoniæ regionis agrum ad segetes vastandas

das immiffum : in cuius immanitatem à Patriâ auertendam & euertendam florentiffima nobiliffimaque Græciæ iuuentus con-
spirauit , & arma fuffit. Eadem ratione fuperioribus annis
in Romano imperio vicinifque regnis imperator auguffiffimus
& illuffiffimi Germaniæ proceres exercitum lectiffimorum mili-
tum coegerunt : ad depellendum non quidem aprum agris aut
fegetibus imminentem : Sed immaniffimam illam Mahometis
beluam , Turcicum Tyrannum , jam Vineam Domini miseris
modis deuaftantem , Christianorum fanguine faturatum ; &
jam fanctiffimæ piorum matri Religioni , & cariffimæ vniuer-
forûm parenti nimirum Patriæ , Libertati , Paci , Honeftati , bonis
artibus , & literis armis fæuiffimis instantem , Germaniæque
jugulo acinacem crudeliffimum jam jam admouentem , &
extrema quæque intentantem. Huic bello facro gerendo,
cum alij regij , illuffiffimique fanguinis præfecti funt , tum vt
olim ad euertendam Trojam Afcanius , teftè Homero , qui ipfum
in catalago Græcorum Heroum diuinum appellat , cum fuis
popularibus Reipublicæ fuppetias tulit : fic iubentibus ita augu-
ffiffimis , fereniffimis & illuffiffimis Romani imperij proceri-
bus , lectiffimorum & nobiliffimorum Equitum in Saxoniam par-
te Auftinâ conſcriptorum turmam ad profligandos Turcicos
Latrones hoc anno duxit illuffiffimus Generoſiffimus & for-
tiffimus DVX BERNHARDVS IX. Afcanius
Princeps Anhaltinus , cuius meritis , pietate , virtute , rei militaris
peritiâ , integritate , temperantia , facilitate , humanitate , pru-
dentiâ , cuius ftrenuitate , fortitudine , induſtriâ , celeritate ,
inque patrands rebus alacritate , fide atque apud fortiffimos
quoſque Equitum Peditumque ductores & Centuriones opi-
nionè præclarâ , multisque jam annis bello Gallico & Belgico
comprobatâ & confirmatâ , non quidem de fæce hominum
petita mancipia , non purgamenta vrbiûm fuarum , non agaf-
ones , non calones , non calicum remiges , non galeati lepores ,
fed nobiliffimus Equitum in hâc Saxoniam , Miſnia , Thuringiam
ordo , motus & excitatus tanto ardore , tanto ftudio , tantis ſumti-
bus , tanto armorum , equorum , curruum , militumque veteranorû
apparatu certatim feſe accinxit : ut , niſi in Patriam pietas , niſi in
C Rempub

Rempublicam fides , nisi magnitudo negocij , periculique præ
 sentissimi & hostis longè immanissimi atrocitas deposcerent , &
 fortissimum quenque officij sui admonerent ; vel solius huius
 ductoris designati religiosa pietas , iustitia , tolerantia , continen-
 tia , magnanimitas , grauitas , sapientia , Comitas , Affabilitas ,
 Prouidentia , munificentia , incredibilisque contentio , labor in ne-
 gotio , fortitudo in periculo , industria in agendo , celeritas in confi-
 ciendo spectata & decantata omnes bonos fortesque ad arma
 huius ductu arripienda exstimulare & inflammare potuissent : vt
 apud Equites militesque Christianos non minor auctoritas iam
 fuerit **B E R N H A R D I** Ascanij quàm Pompeij apud suos : qui
 suppfusione vnus pedis Italiam armato milite completurus erat.
 Cùm enim militum rationes postulent intueri ; cuius ductu au-
 spicioq; ineunda pugna sit : vtrum , qui audiendus , duntaxat ma-
 gnificus adhortator sit : uerbis tantum ferox , operum militarium
 expers : an qui & ipse tela tractare , procedere ante signa , uersari
 in media mole pugnae nosset ; militesq; (quod imperator Alexan-
 der Severus dicebat) magis quam seipsum seruire vellet ? Sciebant
 sanè nobilissimi illi milites hunc ipsum esse , qui nullum in pu-
 gnae trepidatione constantis ducis aut fortissimi militis officium
 ommitteret : occurreret labantibus , retineret cedentes , erigeret
 lapsos , reuocaret elapsos : vbi plurimus labor , vnde aliqua spes
 consilio , manu , voce , insignis hosti , conspicuus suis existeret.
 Sciebant in more ej esse , immò in delicijs & amore , primò om-
 nium hostem inuadere , instare , premere , virgere : otium non
 pati , non desiderare , non languescere : sed agere , ferreque res hostium ,
 omnia tentare. Sciebant hunc iucundissimum spectaculum
 in oculis militum fore , eodem pane vescentem , in vili stragulo , in
 herbâ , sub dio quiescentem , in fossa vel aggere faciendo operam
 communem præstantem , gregarioque militi mixtum **D V C I S**
HONORE INCORRVPTO.

Et si itaque illustrissimi Principes **A V G V S T V S** & **E R-**
N E S T V S videntur nonnullis supersedere his belli exteri labori-
 bus , & ab huiusmodi decumanis periculorum fluctibus , immu-
 nes esse , auxiliariaque arma detrectare potuisse , prætendendo il-
 lud , quod Achilles apud Homerum :

Non

*Non ego Dardanos ulciscar Marte colonos :
Nam neq; abegerunt mihi equorum armenta boumq;*

Item illud alterum eiusdem :

*Innumeri montes inter me , teg; , viæq;
Fluminaq; , & campi , nec freta pauca jacent.*

Vel certè , cum Barbaris ineundo leges pacis , & foedus pangendos quod vt haberent commune cum alijs vicinis regibus & exarchis : ita quid vel ego eâ de re sentiam , vel alij pronuncient , dicere necesse jam non habeo. Nec deerat fortassis in Belgico & Gallijs adeoque in viciniâ rem præclarè gerendi occasio : tamen , vt socij huius militiæ sacrae esse voluerint , fecit societas ejusdem religionis , ejusdem fidei , amor libertatis , amor propinquorum , studium Reipublicæ , salus imperij Romani , Augustissimi Imperatoris auctoritas , irrecuperabilis Germaniæ plorantis , implorantisque opem iactura , impendensque patriæ communis ruina , adeoque vicini parietis incendium & deflagratio ; fecit denique tanti DUCTORIS virtus , & fama , vt exercitij militaris vsu & disciplinâ eruditi , maximis in equos , in arma , in satellites , in ministros factis sumtibus , sub hoc stipendia facere vnicè concupiuerint ; quam certè studij animique generosi demissionem vel etiam merendi in bello conditionem à suæ ætatis rationibus hoc minus alienam esse judicabant , quò rectius distinctos militaris dignitatis & præstantiæ gradus esse didicerant Nota ipsis erat ex Aristophane Comico deprompta vox Cornelij Syllæ , juuentam Marij consulis irridentis : REMIGEM PRIUS ESSE OFORTET , quàm NAVCLERVM. Notum ipsis Consilium sapientissimi Solonis , qui Atheniensib; suadebat , ne antea principatum , imperatoriamq; dignitatè appeterent , quàm imperare , magistratusq; gerere didicissent. Notum erat præconium , quod de Agesilao Plutarchus faciens :

optimus, inquit, erat *πρὸς ἄρχην ἢ ἐκ ἀπαύδευτος ἀρχεσθῆαι*.
 Notum erit præclaræ utilissimæque subiectionis præceptum: Re-
 ge, vbi didiceris regi: Regi enim cū didiceris, scies regere. Male-
 bant igitur & ipsi initio, in tam arduo negotio *ἀρχεσθῆαι ἢ ἀρχεῖν*:
 malebant ab inferioribus gradibus ad altiora militiæ munia
 ascendere, quàm excurrere audacter, quàm prorumpere impetu
 temerario: malebant, licet à naturâ ipsâ formati, perfecti, & ad
 Ductorum munera jam tum obeunda idonei, ab intelligentibus
 judicarentur: tamen, inquam, malebant illum sequi, illi pare-
 re, qui non solum ab omnibus sui loci, atque ordinis æqualibus
 eligi ad reliquos ducendos & ex omnibus meruerat: verum et-
 iam omnibus anteponi, hac in parte, & ab omnibus debuerat:
 præsertim cum Illustrissimi, excellentissimiq; parentis IOAN-
 NIS, Cimbrici voluntas accederet, & commendatio: qui non
 minori cura & affectu, quàm Euander Pallantem suum Aeneæ,
 hos duos filios AVGVSTVM & ERNESTVM spes
 & solatia Parentis, BERNHARDO Ascanio fortissimo
 ductori adiunxit: vt sub hoc Magistro militiam & graue opus
 Martis tollerare assuescerent: Qui & fortitudine præstaret &
 incredibili prudentiâ præditus esset: qui multis magnisq; pericu-
 lis in diuersis bellis sub HENRICO IV. Rege Galliæ, &
 MAVRICIO Principe Vranizæ, heroë fortissimo, apertè
 declarasset, quam foret inuicta constantis animi magnitudine &
 infracto solidissimæ mentis robore: qui nec aduersis deterreri
 solitus, nec secundis efferris: inflexibili rectitudine, incorrupto
 iudicio, & integritate & incommutabili idem persisteret, cui in
 omni vitæ cursu aduersus quosque Martis & fortunæ impetus,
 eadem frons, idemque uultus perduraret. Adjunxit, inquam, vt
 huius facta & prælia cernerent & imitarentur: quo nullum, Pater
 fratrum ducum Cimbricorum, illustrissimus & generosissimus
 nosset, cū literarum eruditione, tum rerum vsu doctiorem:
 nullum variâ & multiplici negotiorum, rerumque bellicarum
 experientia prudentiorem: nullum complurium munerum
 administratione fideiorem: nullum longâ & assidua di-
 uersarum regione peragrationse & lustratione, diuersissimarumq;
 gentium consuetudine in noscendis hominibus, perdiscendisq;
 eo-

eorum ingenijs sagaciorē & callidiorē : nullum rerum anti-
tiquarum & nouarum cognitione peritiorē : nullum morum
veterum & novorum scientiā præstantiorē : adjunxit denique
filios suos Pater A S C A N' I O vt primis vsque ab annis
hunc mirarentur , quo nemo in tollerandis laboribus constantior
nemo in bello manu potentior : nemo in struendo exercitu periti-
or : nemo in seruandâ acie seuerior : nemo in statione
tuendâ , excubijs obeundis diligentior aut vigilantior : nemo
locandis (Rarum , rarum hoc est in ipsis ductoribus) dirigen-
disque in aduersum hostem tormentis doctior , in tractandis ex-
peditior , in explodendis & exonerandis ijsdem violentior &
terribilior : nemo denique in omni actione belli prudentior ,
cautior , aut iustior. Longum hic esset narrare quanta
alacritate illustrissimi fratres Cimbrici , ad hunc suum ductorem
magnis itineribus confectis properarint : quanto affectu in ca-
stra eum secuti sint : quanto studio obseruarint : quantâ fide
cøluerint : quàm feliciter denique æmulati fuerint. Mit-
to hic quæ ad firmissimum munitissimumque Hatuanix castrum
obsidendum , expugnandum , eruendum , funditusque vnâ cum
hostibus delendum à nostris illis designata sunt. Ven-
tum jam erat propius ad Imperatorem ipsum Barbarorum ,
Sultanum Mahometem III. Sultani muratis filium , hu-
jusque exercitum trecentis latronum militibus constantem , qui
postquam magnâ cum suorum clade , sed maiori vel potius
maximo Cæsarianorum damno sedem ipsam belli A G R I A M
munitissimam urbem , arcemque editissimâ in ulteriore vel trans-
danubiali & Boreali , vt ita dicam , Pannoniâ propè flumen Tibi-
scum , adeoque intra hunc & Danubium sitam occupasset : castra
ibidem commodissimo loco vastissimis spatijs factis metatus
Christianum militem octoginta millium numero quidem , sed
caussâ virtuteque minimè inferiorē , porro expectabat.
Quo aduentante è regione hostis immanissimi aduersa ca-
stra fixa aliquot dierum moram pulcro ordine , positu ,
& munitione & necessariarum rerum curâ , commeatu
ac prouisione compensarunt ; Donec Christiani exercitus
C 3 Impera-

Imperator legiones educeret, hostemque barbarum quotidie la-
cessendo prouocandoq; è castris tandem eliceret. Vnde, et si
Barbari copijs suis ad duo miliaria extensis & explicatis, exerci-
tuque arcuato, & in modum hemicycli vel Menisci (quo etiam
in signi in vexillis vtuntur: fortassis quod non minus quàm Ar-
cades se προσεληνως ante lunam natos gloriantur) dispo-
sitis, ex aduerso Christianorum consistere, suaque agmina pro-
mouere cæperunt: ita tamen horum præsertim Germanorum
crebris eruptionibus, velitationibus, prælijsque aliquoties tur-
bari, tamque vehementer perculsi sunt & repulsi; vt fugam arri-
pere, ruptosque & disiectos ordines reparare & instaurare coacti
fuerint.

Quo facto, aleaque jam belli iterum iacta, signoq;
dato, quantum Germanorum virtus potuerit, nec quisquam ferè
jam nescit, & inuidi atque maleuoli coguntur confitendo admi-
rari: quouisque Oraculo veriore contestari nobilissimi scri-
ptoris Taciti vocem: NVLLOS MORTALIVM ARMIS AVT
FIDE ANTE GERMANOS ESSE.

Primum enim in
hostiles copias Saxonicus, sub signis ductoris Ascanij BERN-
HARDI equitatus impetum fecit: & ex hoc primi Principes
CIMBRICI fratres in densissimos hostes inuecti sunt.
Cum enim ductorem suum quotidie audirent in ore habere
Scitum, illud Valerij Coruij: Facta non dicta mea vos mi-
lites sequi volo; nec disciplinam modò, sed exemplum et-
iam à me petere: jamque eundem animadvertissent ordines ob-
equitare, exhortari, per DEVM, per Patriæ salutem, per caput
Sacrum Imperatoris Romani obtestari; tum nominatim vnum
quemque modò hac voce compellare:

Quod votis optastis, adest, perfringere dextrâ:

Tu manibus Mars ipse, viri; nunc coniugis esto

Quisq; sua, te dicit, memor: nunc magna referto.

Facta patrum, laudes.

Modò his dictis tremendis
fulminare:

Ecquis erit iuuenes mecum qui primus in hostem?

Denique & his consuetis familiaribusque sibi & solemnibus ver-
borum

botum tonitruis singulorum animos perecellere: EIA MILITES!
QVOD HVNC DVCEM FACERE VIDERI-
TIS, HOC QVOQVE IPSI PERGITE FACERE:
tūm illi quod vltro sponteque sua *μόνοι ἢ μετὰ ἄλλων*
juxta formulam Attici juramenti facturi erant libentissimè: id
ipsum facibus his admotis & cohortationum stimulis subjectis
multò majori cum impetu cupidissimè patrare: & velut generosi
Molossi, nihil prospicientes, in Aprum irruere solent: (id quod
de Cyro, exemplo illo regie disciplinæ & majestatis, Xenophon
non veritus fuit pronunciare) sic illi elati hoc vnum spectare; ho-
stem vt ferirent; nec præterea providentes quicquam. Vbi
certè res non abire potuit; immò etiam jure Martis communi
non debuit: quin cæsis quidem hostium plurimis, tandem et-
iam non solum ipsi obsessi à globo Barbarorum & oppressi, mi-
nimè tamen inulti conciderentur; & extremum spiritum victo-
res cum gloriâ effunderent: sed ipse Ductor equis duobus sub in-
fidente suffossis & discerptis, secundūque excussus & dejectus,
ac tertio demū equo, opera fideque Satellitis nobilis R. O-
DOLPHI LINKII (quem Latini, opinor, scæuolam ap-
pellarent) ibidem trucidati, subleuatus; minimèque hostibus
parcens tam vehementer petèteretur, tam hostiliter pulsaretur,
tam crudeliter jactaretur, tam inhumaniter immaniterque vicissim
tractaretur; tam incredibili denique contentione defatigatus,
omnibus viribus exhauriretur: vt paucos post dies, inter pia vota,
ardentesque gemitus ad DEVM, constantique & ORTHO-
DOXA agnitæ veritatis confessione Reipublicæ spiritum ex-
tremum largitus sit; adeoque milites suos fortissimâ morte
præmissos subsequi, & non nisi idem cum illis fatum for-
tiri voluerit: idque extra Patriam, extra Germaniam, in ipsâ
Pannoniâ, non modò nondum exercitu dimisso, nondum armis
exutis & positis: sed etiam disiectis prius profligatisque Barbaris,
partaque VICTORIA; quâ nec illustrior, nec splen-
didior, nec gloriosior post hominum memoriam contigis-
set Christianis: si modò superstites nonnulli præ terrore
quodam diuino eâ vti potuissent: aut quidem ex his voluissent:
aut profectò saltem maluissent: quàm, vel nemine adhuc vr-
gente,

gente, cedere: vel hunc, nomen formidabile Barbaris jam adeptum, cumque ductorum militumque Germanorum reliquijs ad castra hostium **STATIM** perseuerantem, animosque suis addentem, destituere, vel ante tubam trepidare, vel triumphum ante tempus canere, vel palmam Germanis inuidere, vel praedae inhiare, vel (quod ego tamen nondum suspicari ausim) nimis familiares cum tam atroce hoste inimicitias exercere. Adeo, si cui videatur jam hunc nostrum **ASCANIIVM** conferre cum P. Scipione Africano juniore: qui caelis, fugatisq; Romanis, cum socij de relinquenda Italia cogitarent, solus restitit: is sane ad suum iudicium, non aliorum modo, sed etiam meam sententiam ascribat. Quamquam nonnullis fortassis magis placeat **BERNHARDVM** Ascanium cum **MAVRICIO** Saxone viro alijs incomparabili componere: cum & aetas, & generis splendor & patriae communis cognatio, & animorum fortissimorum similitudo, & hostis idem Turcicus, & causa eadem, & periculi praesentissimi atrocitas, & euentus belli ita ferè conueniant; ut nec ouum ouo, nec lac lacti, magis conuenire videantur: nisi forte in hoc discrepent: quod Mauritijs fortitudo olim in velitatione; huius nostri in pugna statuariâ spectata fuerit: nisi etiam, quod Mauricius elapsus, saluus in Patriam reuersus sit; **BERNHARDI** verò Mors extra Patriam, cum salute Patriae, ac vitâ superstium fuerit commutata: idque factum hoc ipso anno **CHRISTI** nati, supra sesquimillesimum nonagesimo sexto, die **XXIV.** Nouembris juliani: postquam ipse viuendo exegisset annos **XXV.** dies **xxx.** Et si autem ab aliâ parte non desunt tam iniqui & ignarum virtutum bellicarum existimatores, qui hunc illustrissimorum Principum obitum vel iuuenili temeritate, vel tristi exitu, euentuq; insperato potius, quàm constanti rectissimâque voluntate metiri velint: notum est tamen: quod haec Bellonae sacra non aliter constent, & quod Mars (impius autem ille nisi **DEVS** ipse, Dominusque exercituum intelligatur) optimum quenque sibi militem vendicare, fortissimum quenque, quod ait Cicero, Sophoclem imitatus, ex acie pignereri soleat. Et quid

quid fortibus viris animi sit, in hunc Martium ludum descenden-
ibus, rebusque in acie nouaculæ constitutis: ostendit vox illa
Aeneæ: Moriamur, & in media arma ruamus. Et Leo-
nidæ; qui contra Persas pugnaturus cum interrogaretur, quid fa-
cere statuisset? Nihil aliud, ait, facturus sum: quam
reuera pro Græcis moriturus pugnando: & mox reuer-
sus ad suos prandentes: pergite animo forti milites! hodie apud
manes fortassis cœnaturi. Et Dieneçis responsam: cui
cum Perses hostis in colloquio dixisset, glorians: Solem, præjacu-
lorum & sagittarum multitudinem, hodie non videbitis: In um-
bra igitur, inquit, pugnabimus. Sed & alius Lacon, ægro-
to corpore in aciem progressus & interrogatus; quorsum tam
malè affecto corpore proficisceretur? respondit: Ad moriendum pro
Reipublicæ nostræ salute. Alius Spartanorum claudus, ad
militiam proficiscens, cum à popularibus rideretur; non opus
est fugam sed uiribus, inquit, quibus subsistamus & locum in acie
tueamur. Et alter quidam eorum in Clypeo pro insigni
gerens Muscam, eamque non maiorem veram; quibusdam irriden-
tibus, idcirco, inquit, hoc gero: ut sim conspicuus: tam enim
propè accedo ad hostes, ut ab ipsis insigne, cuiusmodi sit, videri
possit. Et Androclidas roganti, cur breuibus Spartiatæ pugio-
nibus uterentur? dixit: quia cum hostibus cominus dimicamus.
In quam sententiam ALBERTVS Marchio, Germanorum
Alcibiades, suis etiam præcipere solebat, ne prius telum emitte-
rent, vel machinam in hostem exploderent & exonerarent bom-
bardicam: quam ejusdem pupillam contuerentur. Sensit
cum his omnibus Alexander ille Magnus: cui, cum dissuaderet
Aristander vates, Tanaim fluuium aduersus Scythas transire, quod
istud prodigijs prohiberetur: ipse contra inquit: Satius est peri-
culo me offerre; quam totam Asiam periclitari. Idem
cum ei, ad bellum proficiscenti, diceret Aristoteles: Expectandam
esse perfectam ætatem; vereor, respondit, ne, dum ætatem per-
fectam exspecto, audacem perdam iuuentutem. Nec aliter
affectus fuit Sylla: cum apud Orchomenum milites longius e-
uagarentur; ordinibusque turbatis fugam caperent, ipse ex equo
desiliens arrepto signo in hostem conuolat, ita vociferatus: Mi-
D hi,

hi, o Romani milites, hic pulcrum est mori: vos interrogati, quo loco ducem vestrum amiseritis? dicite apud Orchomenum. Et Plutarchus scribit: Lacedæmoniorum quemuis in aciem progressum coronâ caput cinxisse: vt nimirum præmium mortis pro Patriâ in hostis ipsius conspectum secum afferret. Quò respexisse Homerum existimant: cum *καρμιομόωντις ἀχαιῶσ* dixit, Lacedæmonios haud dubiè in primis intelligens Achæos. Ita cum hi etiam extrema subire, urgente id Reipublicæ necessitate, decreuerint: seque pro Patriæ salute deuouerint illustrissimi duces, horumque milites nobilissimi: quos velut eximias hostias *κατὰ μὲν* (verba sunt Electræ apud Sophoclem) *βάρβαρον αἴαν Φοῖνισ Ἄρης ἐξείνισ*: quis præter spem eos, aut cōtra voluntatem, hac præclara morte vitam cōmutasse dicat? & quæ par oratio horū meritis institui queat? Si enim est nominis hominisq; Christiani pietatē, sacra, religionē, animo, voce manuq; defendere: Si heroū, Imperatorū Regum, Principum, Magistratūque legitimi officium est; pro LEGE ferro decernere & pro GREGES periculum capitis adire: fortunas impendere: vim injustam vi justâ depelere: Virtutem, artes bonas, iura, æquum, libertatem, honestatem tueri: ab ejuratiōe Numinis diuini subjectos vindicare: gladium à corpore, libidinem ab animo, exitium à fortunis suorum & extrema quæque arce-re: Barbarorum irruptionibus se opponere: pressis succurrere: afflictis subuenire: labantes subleuare: jacentes erigere: desertis opem ferre: socios iuuare: vicinis auxilia mittere: si capta liberare, si rapta recuperare, prædicatione laudeque immortalis dignum est: Si, quod Antiquissimus Poëta Tyrtæus grauiissimusque Orator Isocrates, ex sententia Hæctoris Homericæ, affirmat,

— *Res est pulcerrima, mortem*

Pro patriâ oppetere & saluos præstare Penates,

Coniugia, infantes, patriam, dulcesq; parentes

Morte suâ: — Si, juxta meum Poëtam, dulce & decorum est pro Patriâ mori: quæ, vt Hierocles ait, est tanquam alter quidam DEVS, & primus & maximus parens: proptereaque

nos

nos hortatur: ut ipsam pluris faciamus, quam nostros parentes,
 atque adeò quam nosmetipsos: Si non modo fortissimos, sed
 sanctissimos milites vocat Cicero: qui Republicæ vitæ suæ
 impensâ redemerant: Si olim apud veteres, præcipuè apud
 Lacedæmonios, nomina mortuorum monumentis inscribi non
 potuerunt, nisi qui in bellis fato concesserant: Si & Atheni-
 enses in festis februarijs illorum ipsorum nomina quotannis re-
 citari curarunt; sepulturaque honorificâ eosdem condecorârunt:
 ut non solùm eorum ossa commodo loco ponerentur: sed & glo-
 ria à prætereuntibus celebraretur, ab obliuione memoria vindi-
 caretur, ad imitandum ob oculos exempla constituerentur: quæ
 efficacia esse in generosis naturis Plato quinto, de Republica, libro
 affirmat: Si sapientissimi Solonis lex eorundem filios publicis
 sumtibus nutrirî atq; erudiri iussit: si eâ de causâ Græci primos
 publicis in congressibus confessus, cingula & coronas oleaginas
 dederunt, qui ostentare vulnera poterant, sed aduersis non auersis
 corporibus accepta: Si ex historijs declaratæ virtutis, ac fortiter
 gestorum monumenta nota sunt; Cæsurum cum Duce Leonidâ
 ad Thermopylas, à maximo Xerxis exercitu: & apud Maratho-
 nem, vbi à Miltiade Persæ superari: & apud Chæroneam, vbi
 Græcos Philippus vicit: & apud Leuctras, vbi Spartani fusi &
 occisi: Si Romani fortibus viris coronas decreuerunt trium-
 phales, laureas, ouales, ciuicas, murales, castrenses, nauales: Si
 strenuis militibus, teste Liuius, concesserunt torques, annulos,
 bullas, armillas, cornicula, colossos, cippos, tropæa, arcus triūphales
 crexerunt: Si agros limitaneos ab hostibus captos, & qui-
 dem immunes à collatione, tributique onere, ijsdem largiti
 sunt: si verum est, quod, referente Suetonio, Vespasianus
 Cæsar & hunc Turbo, Adriani Cæsaris præfectus, imita-
 tus proclamauit: Stando Imperatorem, stando Ducem,
 stando virum fortem, stando militem mori oportere:
 Si verum est, quod apud Sophoclem Neoptolemus
 Philoctetæ subjicit: πόλεμος (cur iterum Græ-
 cis verbis utar, illi nôrint, qui intelligunt) εἰδέν
 αἰδρὲ ἐκὼν οὐραὶ ποιηρὸν, ἀλλὰ τὰς χρηστὰς αἰεὶ:
 D 3 Si

Si verum est , quod Epaminondas dicere solebat ; pulcherrimum
 esse in bello mori : quia hæc mors primùm cum laude fortitudi-
 nis conjuncta sit ; modò bellum geratur pro patriâ : deinde
 breuis , non diu crucians hominem aut paulatim extabefaciens :
 Si iuxta Aristotelem μέγιστος καὶ κάλλιστος κίνδυνος præcipuumq;
 objectum (quo more philosophi loquuntur) fortitudinis mors
 pro patriâ habetur : in qua viri fortis magnitudo elucet : Si , in-
 quam , illa mors , quæ propter certamen difficilima , propter de-
 corum pulcherrima , propter causam honestissima , propter famam
 celeberrima est : ac propterea , eodem auctore , florentissimæ vr-
 bes populiq; benè instituti , reges item summi statuas ponere ,
 honores quàm maximos habere , etiam inter diuos referre illos ,
 qui sanguinis , mortisq; suæ interuentu patriam à morte vindic-
 carant , consueuerunt : Si in historiâ Sacrarum literarum , cum
 alij plurimi , tum Dauides sanctissimus Rex , Ionathæ , Abneri ,
 ipsiusq; Saulis hostis infensissimi , aliorumq; fortium virorum
 obitum splendido Epitaphio , conferendo ipsos cum Aquilis , &
 Leonibus , profecuti sunt : Si tandèm etiam in rationis expertia
 brutaq; animalia summi viri ob salutem seruata gratos se de-
 clararunt : velut Cani Cynothaphium vel Cynossema Xantippus A-
 theniensis erexit : veluti Romani , anserculos Capitolij seruati
 auctores , animi memoris gratiq; honore affecerunt : velut ii-
 dem Quirites coruum , sub Tiberio , publicè præcinentibus Mu-
 sicis , sepeliuerunt : velut Græci Equabus victricibus Olympicis ,
 velut Cimon , Alexander magnus , Adrianus Cæsar , Verus Im-
 perator , equis suis monumenta construxerunt : velut fortissi-
 mus laudatissimusq; Sarmatiæ rex Stephanus nostro tempore e-
 quo suo generosissimo non præcul ab arce Vilnensi cippum , Hip-
 potaphiumq; erigi curauit ; velut deniq; hodie Romæ adhuc (ut
 ab equis ipsis ad omnium quadrupedum abjectissimos & infice-
 tissimos descendamus) Mulæ etiam monumentum repertum
 scribitur : & Hortensius olim lugubria sumsisse ob Murænam ,
 adeoq; pisciculum atratus luxisse legitur : Si , inquam , hæc
 omnia pondus apud cordatissimum quenque habere debent
 grauissimum : ite illustrissimi , fortissimi Germanorum
 proceres , nobilissimi Saxonum Equites , florentissimæ vrbes :
 ite

ite vos Musæ virorum doctissimæ, numeris vincetæ, numeris soluta:
ta: ite, inquam, & non quidem canes, non mulos, non equos,
non pisces, non anseres, non coruos, non exteros, verique DEI
ignaros homines; sed Germanos, sed Christianos, sed vestri sanguinis
Heroes, longèq. illustrissimos, fortissimosque Principes
BERNHARDVM Ascanium, AVGVSTVM & ER-
NESTVM Cimbricos duces, fratres, horumq; in vitâ, in mili-
tiâ, in pace, in pugnâ, in Victoriâ, in Morte pulcerrimâ socios &
affines clarissimaq; vestræ nobilitatis lumina:

Egregias illas animas, quæ sanguine nobis

Hanc patriam peperere suo, decorate supremis

Muneribus. Adq; eò studiosius facite, quo pauciores
sunt ex ipsis Regum familijs, (reliquorum enim laudibus, glo-
riæ, diuinisq; meritis nihil demo, nihil detraho) ex ipsis princi-
pibus vestræ gentis, qui hætenus in sacro isto bello tot annos cum
Turcis barbaris, vel Tartaris gesto, pro Patriâ fortissimè pugnan-
tes & vitam suam hostili grassationi objicientes, occiderunt.
Repetantur enim historiæ: reuocentur superiorum temporum
gesta: euoluantur Turcicarum rerum Scriptores: excitetur multo-
rum annorum recordatio: replicetur, refricetur veterum anna-
lium monumentorumque memoria: Vix vnus aut alter Ladis-
laus, nempe ad Varnam, Ludouicus ad Mogatium, Henricus II.
Pius ad Legnessum diuerso tempore, diuersis dissitisq; locis, pro-
fuso pro Patriâ sanguine suo, hostium sanguinem elicuerunt. Tres
verò principes, regum satù editos, ejusdem mentis, ejusdem gen-
tis, stirpisque fermè, ejusdem ætatis, ejusdem pietatis, eodem tem-
pore, Ductorem ipsum, cum præcipuis nobilitatis suæ fideribus
simul raptos: id rarum, id nouum, id inauditum, nunquam fa-
ctum, nusquam scriptum reperitur. Et quid priscos illos, vel Græ-
cos vel Romanos moramur; qui publicæ saluris causâ morte oc-
cupati sunt? Sit sanè clarus pietate Codrus Atheniensium Rex,
pro Patriâ non timidus mori: Sit dignus admiratione Thra-
sybulus, Epaminondas, Cimon, ille pro patriâ & caris amicis
D 3 haud

haud trepidus perire: Laudentur Philenij fratres : Celebretur à
Catullo versibus elegantissimis , qui ,

*Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit potius, quàm talia Cretam
Funera Cecropidae , nec funera, portarentur :*

Habeatur vir egregius M. Curtius, qui in vastam voraginem se
præcipitans funere suo, funere Patriam liberavit: Sit in æternâ glo-
riâ Brutus liberator patriæ; Horatii item , & Mutius Scævola: qui
pro Reipublicæ incolumitate patrare & pati fortia, Romanorum
esse ostenderunt : ornentur eximiâ laude Decij : è quibus Pater cū
Latinis, Filius cum Hetruscis, nepos cum Pyrrho decertantes, ho-
stiumque telis transfixi Patriam ex præsentissimis periculis, fauci-
busque Orci eripuerunt : Viuant gloriâ immortali, vigeantq; tre-
centi illi, quos,

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes :

Ad bellum missos abstulit una dies :

Sed adjungantur his illustrissimus ductor BERNHARDVS
Ascanius, Illustrissimi principes Cimbrici horumq; socij fortissi-
mi, vel potius præferantur, tanto excellentiores : quanto coelestia
terrenis, diuina humanis, ætheria & stabilia fluxis, æterna caducis,
sancta profanis præstantiora sunt æstimanda. Neq; enim, si vel
subjecta (quibus vocibus Logici in docendo vtuntur) vel causas
efficientes, vel ipsam formam, vel effecta, vel fines perpenda-
mus, illorum virtutes cum horum meritis conferendas deprehen-
demus. Nam vt præclare Augustinus, virtutes, inquit, quas mens
Domina, veri DEI nescia, sibi habere videtur, etiam ipsæ vitia sunt
potius, quàm virtutes. Quæ cum ita sint, & eximiam, atque com-
munem captum hominum superantem virtutem laudare nequa-
quam in promptu sit; omnisq; animi solertia & ingenij acumen
se se copia idoneæ orationis defici sentiat: nolim ego quoque eam,
quæ se ultra omnem omniū comparationem, commendationemq;
protulit, materiam, paupertinâ infantis linguæ collutulare & dete-
rere balbutie. Tantum virtutes hæc atq; merita fortissimorum
sanctissimorumque principum intra pectoris nostri adytum,
admiremur,

admiremur, honoremus, adoremus, veneremur, colamus: cui testā-
do Versus hosce Epitaphios, de Leonidā & trecentis Spartanis, qui
in Thermopylis occiderant, à Simonide factos, & alicubi à Cicero
ne latinis verbis adductos, paucis mutatis, paucis additis, velut ta-
bellam fatalem, Fortitudinis, Fidei, Famæ, Gloriæ, Memoriae, Gra-
titudinis, Pietatisque templo appendimus :

HOSPES. DIC. PATRIÆ. GETIC. O. NOS. MARTE. PEREMTOS.
DVM. SUPERVM. SANCTIS. LEGIBVS. OBSEQVIMVR.
DISCITE. AB. EXEMPLO. GERMANI. DISCITE. NOSTRO.
VIVERE. CVM. RES. FERT. FORTITER. ATQVE. MORI.

Sequitur vt Celsissimis, illustrissimisque, parentibus, fratri-
bus, consanguineis & propinquis luctum leuare, doloremque mi-
nuere sententijs nostris consultisq, studeamus: cum dubium non
sit, hoc tam acerbo, vt videtur, casu ipsorum animos vehementer
perculos. Quo enim naturæ generosiores sunt: hoc major-
rem, hoc ardentiorum, hoc vehementiorum esse affectum erga
cognatum sanguinem constat. Velut Lacon quidam increpanti;
quod dolori indulgeret; respondit: Quid faciam? non ego, sed na-
tura mea mihi lacrymas excutit. Potentesq; familiæ, & antiquæ
ac nobiles domus virili in primis sobole, masculisque hæredibus
confidunt: quibus, teste Homero, Parentes veluti vrbes turribus co-
ronantur: quique, juxta Euripidem, velut columnæ sunt illustrium
domorum.

Etsi autem cum alij, tam Cicero proximis optimam hanc
consolationem in hoc genere putant esse: Patribus; quod tanta præ-
sidia Reipublicæ genuerunt: Matribus; quod his filijs carebunt,
quos laudare, quam lugere præstabit. Fratribus; quod in se, vt cor-
porum, ita virtutum similitudinem esse confident: Consangui-
neis; quod habebunt domestica exempla virtutis: tamen
cum Christianos deceat paulò altius ascendere; ego quoque
non porrò deducam illustrissimos Parentes, illustrissimos
Fratres, illustrissimos propinquos ad argumenta for-
titudinis togatæ: quam in domesticorum & necessariorum
aduersis casibus plurimi veterum declararunt: è quibus Quirinus
quidam

quidam amicis de Morte filij consolantibus, Quando, inquit, potius apparebo vir, quàm nunc? Sentiens dolorem quidem esse acerbum: sed hoc fortitudinis laudem fore splendidiorē. Gyrtias, cùm aliquando Acrotatus nepos ex pugna semimortuus domum referretur, familiaribus plorantibus ait: Non tacebitis? Ostendit enim hic meus sanguis, quo sanguine natus esset. Idem, cum nuncius è Cretâ, de morte Acrotati venisset, subiecit: Nonne hoc omninò futurum erat, cum ad hostes venisset, ut ipse occumberet, aut illos interficeret? Iucundius autem est audire: cum se ipso, ciuitateq; maioribusq; dignam mortem optiisse. Tynnichus filij sui Thrasybuli mortem perquam fortiter ferens, hoc Epitaphio ei parentauit:

*Plorentur timidi, tu infletus humabere Fili:
Qui patre, & tali dignus es, & Patriâ.*

Publij Crassi filius, cum fortissimè in bello cecidisset; hostesque caput iuuenis hastæ impositum gestantes, Romanis magnâ cura acerbitate insultarent: tam tristi spectaculo nihil commotus parens, Dux belli, dicebat: Hic meus priuatus dolor est, mea hæc calamitas: Cæterum publica ciuitatis salus & gloria in vestrà incolumitate est. Eadem fortitudine vsus Telamon, Lochadus, Anaxagoras: cui in exilio agenti cum nunciata esset mors filiorum, sciebam, ait, me genuisse mortales. L. Aemilius Paulus, nunc felicissimi, nunc miserrimi Patris clarissima repræsentatio, cum duos filios amisisset: quorum alter Triumphum Macedonicum Patris funere suo quartum ante diem præcessit; alter in triumphali curru conspectus post diem tertium exspirauit: Casum hunc quo animi robore sustinuerit, oratione hæc nulli ambiguum reliquit: Cum in maximo prouentu felicitatis vestræ, Quirites, timerem, nequid mali Fortuna moliretur: Iouem, Junonem, & Mineruam precatus sum: ut, si aduersi quid Populo Romano immineret; totum in meam domum conuerteretur. Quapropter benè se res habet. Annuendo enim votis meis id egerunt: ut vos potius meum casum doleatis, quàm ego vestrum ingemiscerem.

Tiberius

Tiberius Cæsar in Drusi morte , quem vnum habebat filium , pluris virtutem quam sanguinem faciens , à funere ejus rectâ ad Curiam, ad publica munia obeunda , vt ante solebat, nullo doloris expresso signo, perrexit. Cajus Claudius Cæsar cum eum amississet , quem & optauerat & genuerat, ipse tamen pro rostris eum laudauit: & in conspectu posito corpore , interjecto tantummodo velamento , quòd Pontificis oculos à funere arceret, flente cuncto populo Romano, solus non fleuit parens. Quos omnes quo minus miremur, faciunt muliercularum quarundam facinora plusquam mascula: quæ, vt aliàs habent lacrimas in statione paratas, oculosq; suos, vt flerent, erudierunt: Sic profectò maribus quibusdam pudorem incuterent Lacænæ illæ viragines: è quibus vna Clypeum tradens filio sic ipsum adhortata est: aut hunc, aut super hunc; Laconicâ breuitate sentiens: sic rem gerendam in bello: vt aut Victor Clypeum referret; aut mortuus, super eo, domum reportaretur. Alia cum audiisset: quòd alter filiorum, fortiter in prælio se gerens, fuisset: nimirum, dixit, meus erat: contra cum alterum saluum acciperet prælium detrectasse: at ille meus non erat. Alia cum filius in prælio esset cæsus, deponi illum, vt erat ordine inter trucidatos collocatus; locum verò ejus expleri à fratre voluit. Alia ferijs publicis festa gerens, audito, quòd filius in prælio quidem vicisset, at ex vulnorum multitudine obiisset; coronam non deposuit: sed gloriata comitibus dixit: Quanto pulcrius est in acie Victorem occumbere, quam in Olympijs partâ victoria viuere? Quæ fortassis magis stupenda in hac sexu: quam quòd nunciatâ clade, quæ ad lacum Thrasimenum inciderat, mater Latina, sospiti filio ad ipsam portam facta obuia, complexu ejus præ gaudio exspirauit: altera, cum falso mortis filij nuncio mœsta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata scribitur. Alia Lacænarum, cum filius dixisset: quam fortiter frater meus in bello occubuit! non pudet te, dicebat, non fuisse in morte tam generosâ comitem? Ad aliam cum accederet quispiam nuncians: filios illius quinq; occubuisse; non istuc, ait, percontabar, ignauum mancipium; Sed quid ageret Patria? Damatria etiam filium qui deserto loco hostem fugerat, interemit, his adjectis haud me-

E

um

um est hoc germen : quod adeò à vitâ abhorret , semel amittendâ.
 Quod etiam imitata illa, quæ aduentantem filium conspicata in-
 terrogauit : quo in statu res patriæ essent ? Et cum responderet ,
 omnes interiisse : projectâ tegulâ eum interfecit , dicens : Itane
 ergo te malorum nuncium miserunt ? Et iterum alia : cum filium
 sepeliret : cumq; inclamaret anicula : heu fortunam ! ô mulier !
 illa subiecit : Bonam, per geminos, illam equidem arbitrò: si qui-
 dem cuius gratiâ filium peperit, vt pro Spartâ moreretur, id mihi
 contigit. Fortissima mulier aniculæ deplorationem vertit in gra-
 tulationem. Quædam deniq; filijs è prælio fugâ elapsis, do-
 numq; reuersis, quò, inquit fugitiui venitis, mancipia pessima ?
 An huc (ostendens sublatâ veste) vndè egressi essent, ingressuri ?
 Et memorabile quod Aelianus scribit : Lacedæmoniorum ma-
 tres quotquot audiuerunt, filios suos in pugná cecidisse, abire so-
 lebant & inspicere vulnera, tam auersis, quàm aduersis corpori-
 bus illata : Et si plura ex aduerso essent facta, exultantes cum gra-
 ui feueriq; vultu, in Patrum sepulchra filios deferebant : sin alio
 modo vulnera accepissent, pudefactæ indè & lacrymantes festi-
 nanter & clam relictis mortuis discedebant. Quæ omnia qui-
 dem, etsi talia sunt, vt naturas non vulgares à luctu auocare pos-
 sint: tamen cum asperiora videantur, quàm quæ Christianæ mētis
 teneritudo sustinere & sufferre imitando queat, aut etiâ debeat: id-
 circo, inquam, Illustrissimos parentes, Illustrissimos fratres, Illu-
 strissimos cognatos, vt magnanimos, ita pios & Φιλοσόφους non
 ad hæc horridiuscula exempla deducã: sed nec propterea luctu ab-
 stinendum hortabor: quòd nihil eo perficiant: cum hanc ipsam ob
 causam iè vehementius lacrymari affirmet Solon; quia nihil pro-
 ficeret. Neq; ad Cynicum illum Diogenem, cuidam deploranti
 amicorum fata dicentem : Quid lamentaris ? Vndiq; enim ad
 manes tantundem est viæ. Neq; illud ipsis in memoriam reuoca-
 bo: quod Chrysalus comicus, Græcos imitatus, affirmat; eum,
 quem Dij diligunt, adolescentem mori, dum valet, sentit, sapit.
 Non etiam vtar verbis : quibus Euandrum super morte Pallantis
 consolatur Aeneas :

— *At non Euandre pudendis*

Vulne-

Vulneribus pulsum aspicias. — Non vsurpabo quod Amasis
 amissum filium lugenti dicebat: Si tunc, cum nondum esset, non
 dolebas, ne nunc quidem doleas, cum non est. Neque id sug-
 geram quod apud Platonem, mortui, si reuicturi essent, parenti-
 bus putarentur dicturi: Nolite muliebriter lamentari, fortissimi
 parentes: cum, quia varijs temporum & hominum injuriis ere-
 pti sumus: tum ne, quod parentes nostri non fitis, suspensionem
 moueatis; adeoque illos, qui nos laudant, mendacij arguatis: Sed
 tales vos in morte filiorum præstate: vt reuerâ viri virorum patres
 esse videamini. Non dicam etiam: quod luctus, qui mor-
 tuis nihil prodest, inter viuentes fastidium pariat. Quid ergo? De-
 ducam illos ad eum: cuius nutu & arbitrio Cœlum, Terra, maria-
 que reguntur: per quem viuimus vitalem æuum; quem penes
 spes vitæ sunt hominum omnium. Deducam ad eius prou-
 dentiam, curam & paternam voluntatem: Qui ait: ne passerulus
 quidem sine voluntate DEI in terram decedit. Quod si (vt
 Cyprianus ait) ille nec minima fieri sine voluntate DEI dicat:
 existimet aliquis, summa & magna aut nesciente, aut non per-
 mittente vel gubernante DEO fieri? Deducam eos ad id quod
 Apostolus nominat GALEAM SALVTIS: cuius confi-
 deratio quantum vsum habeat in obitu Carissimorum amico-
 rum: qui partim luctuosam, partim desiderabilem sui memori-
 am, parentibus, propinquis, amicis reliquerunt, docent Scholæ
 pietatis. Deducam denique ipsorum mentes, cogitationesque ad
 sedem illam: in quam à beatis Angelis, genijsque castissimis &
 aligero flammeoque IEHOVAE exercitu animas illustrissi-
 morum Heroum repositas putamus: & sic putamus; vt speremus:
 & sic speramus, vt credamus: & sic credimus, vt sciamus: & sic
 scimus, vt statuamus: & sic statuimus, vt planè confidamus.
 Quemadmodum enim diuinus Poëta cum ad Eumenidum antra
 & furiarum carnificinam relegasset jam manipulum illum furū,
 de quo ait: *Vendit hic auro patriam:*— Sicut Lathenes Olynthum
 Philippo, Romam viginti septem millibus sestertijs Curio Cæ-
 sari vendidit: non dubitauit etiam postea in amoena vireta fortu-
 natorum nemorum, beataq; sedes collocare eos, de quibus ait:

Hic manus, ob Patriam pugnando vulnere passi :

nempè inter Sacerdotes castos, inter Poëtas, inter pios vates, & Phœbo digna locutos: Sic dubium non est BERNHARDVM Ascanium, AVGVSTVM ERNESTVMq; Cimbricos non solum jam fortissimos Principes, sed etiam sanctissimos heroës & semideos vel potius diuos, sancta inhabitare, sancta audire, sancta loqui, sancta coram oculis arbitrari: Certissimum est, inquam, sedes ipsos incolere: in quibus visuri sunt & allocuturi, non quidem è Philosophis Pythagoram, ex historicis Hæcateum, ex Musicis Olympum, ex Poëtis Homerum: quorum in campo Elysiæ videndorum, compellendorumq; desiderio vnice flagrasse, proptereaq; libentissimè mortuum fuisse Cercidam Arcadem AElanus scribit: sed conuenturi istic sunt sanctissimos Ductores & Principes, Abrahamum, Iosnam, Gedeonem, Dauidem, Ionatham, Iosiam, Iosapham, Ezechiam, cæteros. Christianos item imperij Romani Cæsares: Christianos Daniæ reges, Fridericos reges: Christianos Duces, Ioannem Fridericum, Mauricium, Augustum, Christianum Saxones: Georgium, Bernhardum, VVolfgangum, Ioachimum Ernestum, Ascanios: VVilhelmum Vranium, Casimirum Palatinum, VVilhelmum Landgrauium religiosissimos Principes, fruentes beatissimo conspectu DEI: adeoq; Bernhardum Bernardus, Augustum Augustus Ernestum Ernestus hîc agnoscer, --- diuisq; videbit

Per mistos Heroas, & ipse videbitur illis.

Hîc Christus sedens à dextera Patris regnat, viuit, vitamq; vniuersis impertit: hîc illi cum Christo viuunt: per quem pro dolore gaudium; pro tristitiâ lætitiâ; pro morbis sanitas; pro exitio salus; pro peccatis innocentia; pro sordibus mundities; pro impuritate sanctitas; pro bello pax & quies; pro terribili turbâ Barbarorum, lætissimorum geniorum Musica suauissima; Cœlum pro terrâ, lux pro tenebris; fenus pro funere; Vita pro morte; Felicitas pro miseria, & æterna beatitudo coronaq; iustitiæ parta & parata est. O beatam vitam, quæ tali morte finita! O beatum mortem, quæ tali vitæ exordium dedit! & in quâ rectius gloriari quis posset; quàm Thebanus ille Dux, pro patriâ occumbens

cumbens : nunc Epaminondas nascitur ; quia sic moritur. Felices igitur illustrissimos parentes : qui non tam sibi, fratribus, cognatis atq; amicis generosissimis, nec tam suo generi, quam civibus, quam Patriæ, quam Germaniæ, quam Reipublicæ, quam religioni ab interitu vindicandæ, tales natos procrearunt : quorum & vitæ lætari, & morte gaudere, sibiq; gratulari poterant.

Postremò quid illis subjiciemus solatij, quomodo exhortabimur, quibus sententijs aut verbis illis animum iterum addemus ? qui nescio quid in hoc bello sacro, admissum an omis- sum, nec sine vanitate inficiari, nec sine pudore fateri, nec citra ru- borem sustinere aut excusare se posse, palàm conqueruntur : qui et- si à Germanis non sint : tamen, cum & Christianum nomen, nu- menq; agnoscere & aliàs fortitudine reliquis non inferiores sese jactitent ; & aliquid humani se passos ingenuè confiteantur ; & caussa ipsa communis Reipublicæ latè pateat : Propterea, inquam, (tametsi cujusquam inertix ullo modo velificari nolim) conue- niebat : quosdam acriores arbitros, juxta Pindari præceptum, *πὴ καλὰ τρέψαντες ἔξω*, paulo æquius judicare : & juxta So- cratis admonitionem, mala communia tegendo corrigere : de- que ijs, quæ in potestate nostrâ non sunt, audire vetus Epigram- ma: quod Demosthenes alicubi in simili & penè gemino huic negotio cum magno applausu rectè & candidè judicantium con- trà AEschinem adduxit:

*Nil peccare DEI est proprium, atq; agere omnia rectè :
Nec vitare homines fata seuera queunt.*

Et cur hosce tantoperè miremur, aut indignemur, strenuita- te pedum, hostium vim ingruentem eludere conatos fuisse, & eli- dere : cum teste eodem Pindaro, in diuinis tumultibus, quos *πανικὰ δαίματα* & *τορύβες* Græci vocant, ipsi DEORVM filij subitæ (vt tandem illam infausti ominis vocem inuitus pro- feram) Fugæ obnoxij deprehendantur. A quâ infortunij sorte, vt Plutarchus solum Epaminondam eximendum censet : sic contrà multis magnorum virorum exemplis euinci posset, quod Cicero ait : Exercitus quosdam maximos sæpè pulsos fu-
E 3 gatosq.

gatosq; sine cuiusque non modò morte, sed etiam vulnere, solo
 hostium impetu, terrore ipso : qui ob id, credo, à Pindaro
 Φίβει ἀνδράμας dicitur : quique cum à Deo immissus o-
 mnem sapientiæ vim ex animo expectoret, vt ait ille : certè ei su-
 stinendo etiam fortissimi viri non possunt aliquando non esse
 impares. Decebat etiam illos dubiam secum perpendere aleam
 Martis : qui D E V S cum sit ἀλλοπρόσωλλον : quomodo
 manu retineri potest humanâ ? Adhæc non placent viris prude-
 ntibus illi assiduè in rebus prolixis & lætis, quos nulla pericula,
 nullæ res aduersæ erudierunt : nec temerè, vt ait Liuius, aduersa
 casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit. Sunt etiam
 qui Alexandrum Macedonem ideò minus efferendum laudibus
 censeant : quod in ipso perpetuo victoriarum cursu, nondum ad-
 uersam fortunam expertus, vitam finierit. Vnde Polycrati et-
 iam, cum nimis fauente vteretur Fortunâ, quidam amici renun-
 ciarunt, præfagientes ruinam certissimam : quæ exceptura erat tot
 felicitatis argumenta. Timotheum Atheniensem Imperatorem
 malè habuit : quod Gnathones aulici dormientem se pingerent, &
 Fortunam ponè, vrbes, arcesq; more venantium in retia cogen-
 tem, quas ipse postea expergefactus, velut auiculas, aut pisces ma-
 nu exciperet : malè, inquam, hoc ipsum habuit : quòd intellige-
 ret non solùm, hoc pacto, Fortunæ potius asseribi, quàm Virtuti
 spectatæ res gestas : sed ipsam etiam Fortunam nimium blandi-
 entem, bellatori maximè suspectam esse debere : imò ne quidem
 oprandam semper : nimirum quæ, velut hederæ complexu suo,
 quamuis molli, arbores necant : velut rebus quibusuis fœcundi-
 tas & luxuries nimia obest ; sic, inquam, etiam illa blanda hera,
 sic prosper rerum successus exitij sæpè causa existat : nisi virtus ari-
 etata semper adsit, semper præsit : Virtusq; Fortunam, Fortuna Vir-
 tutem alternis momentis in bello prouocet.

Quod ergò responsum Scipio Africanus Antiocho Regi dedit :
 Romanos neq; si vincant, rebus secundis insolescere ; neq; illis, si
 vincantur, animos minui debere : id ipsum hîc quoq; locum habe-
 re statuo. Vnde etsi intelligo quàm præclaram hic nactus essem
 EXHORTANDI, adeoq; extremas suscepti muneris partes absol-
 uendi occasionem : quâ monerem illos, quos dixi, vt imitarentur
 bonos

bonos gladiatores: quos, cum in primo conatu inferiores fuere, in secundo, tertioque videmus nihil, nec vitando facere caute, nec petendo intrepide: quia tamen omnia ferme omnium scripta, quae hodie in lucem prodeunt, huiusmodi exhortationum argumentis ita referunt, ut, si ego quoque post summos viros in hoc genere aliquid conari auserim: actum agere, post Roscium saltare, Soli denique lumen fenerari non immerito videri fortasse possem. Idcirco, quod Imperatores facere videmus: ut, si propter locorum angustias, toto exercitu excluso, integram & plenam aciem instruere prohibeantur, selectissimam militum legionem eximant & producant: idem mihi hic video faciendum: & fortissimam rationum & copiarum mearum quasi legionem, ad exhortandum directam, sub unius CONCORDIAE signum, nomen & Imperium reuocandum existimo: cuius mentione, ut & me ipsum, & omnia quae huius loci sunt absoluisse me arbitror: ita illam frustra inter summa Reipublicae capita, frustra (inquam) tentari, frustra sanciri, frustra sanciri affirmo: nisi omnes, qui quacunq; necessitudine hoc bellum sacrum attingunt, ex nefanda illa secleratissimaq; Babylone fugiant: hoc est, nisi ab augustissimis illustrissimisque Imperij proceribus, Romanus Antichristus, spurcissimus ille furcifer & carnifex idem sibi fieri patiatur: quod ab illo ipso incesto, sacrilegoque Regum parricida Venetij passus

FRIDERICVS BARBAROSSA
IMPERATOR.

D I X I.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

IMP. REG. BARBAROSSA

DIXI



W 1999

[70/98]

ULB Halle 3
001 915 363



Sb.


V 3 17 ✓
Retro ✓





70





B.I.G.

Farbkarte #13

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ

Dictus

Illustrissimis & Fortissimis Principibus
AVGVSTO ET ERNESTO DVCC,
CIMBRICIS FER.

79.

Qui
DEI OPT. MAX.

ƷVSSV,

AVSPICIIS AV-
GVSTISS, Imperatoris RODOLPHI II,
Germanici, &c.

*Ductu Serenissimi Principis MAXÆ MILIANI
Austriaci, designati Regis Sarmatia &c.*

DVCTORE ILLVSTRIS-
SIMO HEROE BERNHARDO ASCA-
nio, Principe Anhaltino, &c.

*Ad bellum profecti sacrum, & in pugnâ, aperto Marte apud A-
GR Ʒ A M Pannoniæ commissâ, pro Patriæ salute cum Barbaris di-
micando fortissimè occumbentes, ipsius Ductoris ASCANII mortem,
Tirnaviæ Pannoniorum, antequam adhuc discessum esset
ab armis, obitam paucis diebus Fato præuerterunt.*

Scriptusque ab

ALBERTO VOITO Borusso.



SERVESTÆ

Excudebat Bonaventura Faber, 1596.

